

DISPUTATIO INAUGVRALIS 17.
MEDICA

DE

FVLIGINE

QVAM

AVSPICE DIVINO NVMINE

EX DECRETO

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE

DN. CAROLO AVGVSTO à BERGEN

MED. DOCT. ET PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
AD HVNC ACTVM PRO-DECANO

ACADEMIAE H. T. RECTORE MAGNIFICO
PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
LEGITIME IMPETRANDIS

IN AVDITORIO MAIORI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

GODOFREDVS AVGVSTVS ISAAC

GORLICIO LVSATVS.

AD DIEM VIII. MAII MDCCL.



FRANCOVRTI AD VIADRVM,
EX OFFICINA IOANNIS CHRISTIANI WINTERI
ACAD. REG. TYPOGR.

INCLITAE CIVITATIS
LVSATO-HEXAPOLITANAE GORLICENSIS
MAGISTRATVI
VIRIS
MAGNIFICIS NOBILISSIMIS CONSVLTISSIMIS
PRVDENTISSIMIS ATQVE AMPLISSIMIS
DOMINIS
CONSVLIBVS SYNDICO PRAE-
TORI SCABINIS CAETERIS-
QVE SENATORII ORDI-
NIS MEMBRIS
DOMINIS AC PATRONIS SVIS AESTVMATISSIMIS

SPECIMEN HOCCE LITTERARIVM SVBMISSA
ET DEVINCTA MENTIS PIETATE CVM VOTO
OMNIGENAE PROSPERITATIS

OFFERT

OBSERVANTISSIMVS CVLTOR
GODOFREDVS AVGVSTVS ISAAC
GORL. LVSAT.

A 2



INCLINAE CIVITATIS
EVSATO HEXAPOLITANAE COMITENSIS
MA GIST RATVA
VIRIS
MAGNITUDIS NOMINIS COMITENSIS
FUNDITISSIMIS ATQUE AMPLISSIMIS
DOMINIS
CONSULIBUS SYNDICO PRAE
TORI SCABINIS CAETERIS
QUE SENATORII ORDE
NIS MEMBRIS
DOMINIS AC PATRONIS SVS AESTVAMATISSIMIS
SPECIMEN HOCCE LITTERARVM RABINICARVM
BLANDITIA RABINVM HOCCE EVM FOTO
OMNIVM LITERARVM
DE
ORIENTALIBUS LITTERIS
GODOFRIDVS ANTONIVS SCHEERER



SYNOPSIS.

Proëmium.

- | | |
|--|---|
| §. 1. Definitio fuliginis. | §. 14. Quid sit fuligo, quatenus ex
analyfi cognoscitur. |
| 2. Etymon. | 15. Transitus ad ea quae sequun-
tur. |
| 3. Origo fuliginis. | 16. An genuina fit analyfis Boer-
haviana, |
| 4. An productum naturale, an arti-
ficiale ? | 17. In veram Salis Ammoniaci
preparationem inquiritur. |
| 5. Differentia fuliginis ratione
suae concretionis. | 18. Vires fuliginis medicae ut
medicamentum externum. |
| 6. Differentia fuliginis ratione
suae originis. | 19. Vires fuliginis ut medica-
mentum internum. |
| 7. Fuliginis formatio est species
sublimationis. | 20. Usus fuliginis in chymia
secretiori. |
| 8. Analyfis fuliginis Boerhaviana. | 21. Usus fuliginis mechanicus
et varius. |
| 9. Confectaria hujus analyfis. | |
| 10. Analyfis fuliginis nostra. | |
| 12. Confectaria hujus analyfis. | |
| 13. Aliae adhuc species fuliginis. | |

PROEVIUM.

Naturam nihil fecisse frustra, qui ipsam ejus-
que naturalia producta considerant, seduli
scrutatores quotidie experiuntur. Nihil quippe re-
rum naturalium in oculis hominum tam vile et ab-
jectum est, quod non rite exploratum, atque exami-
natum in totum genus humanum redundantem usum

patefaciat et polliceatur. Vilem, quam pedibus
 calcamus arenam, hominum et animalium excre-
 menta, fugacem ignis fumum, fatiscentes cineres et
 favillas, aliaque innumera naturæ et artis produ-
 cta multi perperam ceu res nullius momenti flocci
 pendunt, licet suis aestimatoribus thesauros sepe re-
 cludant, et hominum sanitati, et vitæ commodis in-
 servientes. Mille hoc idem exemplis probare pos-
 sem, nisi ab instituto meo, vi cuius doctorales hono-
 res capebiturus, profectuum qualiumcunque meorum
 specimen jam edere cogor, non nimis alienum foret.
 Liceat tamen mihi, cui aliquid ex statutis gratiosæ
 facultatis, quæ me petitis honoribus maclat, typis
 mandare injunctum est, dictorum veritatem unico
 fuliginis exemplo præmonstrare. In quo enodan-
 do argumento eorum, qui rem nimis vilem et abje-
 ctam, et hinc ab omnibus fere intactam relictam, hic
 accusant, objectiones non morabor; modo demon-
 straverim fuliginem in medicina æque ac in aliis ar-
 tibus humanis vitæ commoda promoventibus, usum
 habere multiformem et præstantissimum. Tuæ
 cæteroque benevole lector æquitatis est, hos meos co-
 natus æqui, bonique consulere.



§. 1.

Fumus cujusvis combustibilis materię per caminum in altum euectus, et pro parte ejus parietibus applicatus, modo penetrabili atro pingui humore eos penetrans, modo superficietenus accrescens, sub forma floccorum nigrorum, laxorum, facile decidentium, atque parietes nigerrimo colore inficiens, *fuligo* vocari solet.

§. 2.

Fuligo dicitur quasi fumiligo, quod nihil aliud sit, quam fumus ligatus, qui tam concurrente ignis motu, quam aëris frigidioris, in camino circulantis pressione, forsan etiam parietum vi attractrice ex fluida in solidam formam condensatur. Græcis, rerum vocabulis abundantibus vocatur. *Αιγινος* et *ασβολή*, sub illo nomine vulgarium caminorum, sub hoc vitrariarum officinarum fuliginem pictoribus inferuentem intelligentibus. Quo cum ex parte convenit sensus ARISTOTELIS *Lib. IV. Meteor. cap. 9. ξυλώδες σώματος δυμιάσιν* fuliginem lignosi corporis exhalationem vocantis.

§. 3.

Ex definitione (§. 1.) patet, me fumum cujusvis combustibilis materię nominare fuliginem, quare cum multi-

Origo fm.
lignis.
cia

cia ex triplici naturæ regno corpora existant igne destructibilia, inde sponte fluit, non solum vegetabile regnum combustilibus suis lignis, sed omnia naturæ regna ad formandos fumos et fuliginem symbolam conferre.

§. 4.

An productum naturale an artificiale?

Ad quæstionem, an fuligo naturæ, an artis productum sit? paucis responsurus, si conceditur, uti reapse fieri aliter non potest, ignem esse corpus naturale, credo fuliginem unius individui esse productum naturale, artificiale autem fieri posse ex plurium combustibilium simultanea combustionem.

§. 5.

Differentia fuliginis, ratione suae concrecionis.

Dixi porro in caminorum voragine duplicem reperiri fuliginem (§. 1.) alteram densam et crustaceam, alteram floccosam superficietenus adhærentem, illam, germanis *Spiegelruß*, crustaceam vel piceam, hanc favillaceam, appellare lubet. Utraque hæc fuligo melior semper censetur, quo proximior luculento foco, propter majorem partium salinarum et pingvium copiam, quibus magis orbata est fuligo in cacumine caminorum collecta. Datur et fuligo usta ex splendente fuligine igne clauso parata, tota nigricans, ut cruda, pictoribus expetita, quæ hoc singulare habet, quod ardentibus imposita carbonibus tota ignita fiat, neque tamen, ut crudæ accidit, flammis consumatur, et in cineres convertatur, sed carbonis instar ab igne remota et frigefacta adhuc nigra sit, et cohæreat.

§. 6.

§. 6.

In limine dissertationis notavi, omnis (§. 1.) combustilis materiae fumum largiri fuliginem, illa vero, quae usibus medicis et mechanicis inservit, ex plurimis lignis, simul combustis colligitur, hinc unius ligni fuligo, nisi forsan ex pinetis et apud picis coctores, raro expectari poterit, quum opifices variorum generum ligna simul comburant. In Germania dantur certae regiones, ubi propter lignorum defectum cerealium duntaxat stramina comburuntur, ut in Magdeburgensi et Halberstadiensis ducatu consuetudinis est. Hanc ego fuliginem quoad producta, horumque respectivam proportionem quodammodo differre a fuligine lignorum existimo, qua in re consentientem habeo clariss. NEUMANNVM qui in *pralect. chym. cap. 63.* singulari analysi chymica probatum dedit, quod Parisiis, quo loco resinosa admodum ligna comburuntur, ex libra una fuliginis ultra unciam unam salis volatilis, olei uncias duas; Berolini vero idem repetens experimentum, ex eadem quantitate fuliginis salis volatilis drachmam unam, olei vero unciam unam acceperit. Longe major contentorum diversitas reperitur in fuligine quae natales suos non habet ex solo regno vegetabili, sic fuligo Aegyptiorum, quae ex stercorebus vaccarum et camelorum intermixto stramine exsiccatis fit, longe alterius naturae est, ac quaevis fuligo vegetabilis. Veteres quoque videntur melius calluisse differentiam fuliginis pro varietate combustilis materiae, quibus quippe in usu fuit ex resinis et gummi resinis, thure, mastiche, myrrha, draconis

Differentia fuliginis ratione suae originis.

B

fan-

sanguine parare fuligines usibus medicis accommodatas. Regnum denique minerale sui generis fuligines largitur, toto coelo a vulgari discrepantes. Huc commode possumus referre tutiam, arsenicum, pompholygen, quæ fuliginis solidæ quodammodo species sunt, ignis ope sublimatae, et crustæ modo caminorum parietibus adnascentes.

§. 7.

*Fuliginis
formatio
est species
sublimationis.*

Cum omnis sublimatio proprie nihil aliud sit quam destillatio quædam sicca, vel propulsio siccorum evaporabilium, quando scilicet concretorum particulæ sub specie fumis exhalant, et intra vasa ab ambiente aere frigido in massam solidam condensantur, videtur fuligo intuitu genesis nihil aliud esse, quam sublimatum domesticum nigricans, partim vegetabile, partim animale. Quod quidem duplex ista fuligo comprobatur, nam uti in omni sublimatione chymica flores et sublimatum crustaceum distinguuntur, ita in voragine caminorum tam fuligo splendens, quam favillacea (§. 1.) inveniuntur. Omnis enim caminus est instrumentum chymicum, et commode comparatur alembico convergenti, in fastigium aperto, in quo ad summa usque fuligo evehitur.

§. 8.

*Analysis
fuliginis
Boerhavia-
niana.*

Ex cujusnam naturæ particulis fuligo constat, omnium optime analysis manifestat chymica, ad cujus historiam concludendam, tum propria instituta pericula, tum et incomparabilis

ac

ac fide digni viri, magni BOERHAVII experimenta hic adferam.
Clarissimus BOERHAVIUS Elem. Chym. Tom. II. pag. 283.
 hanc sequentibus describit analysin verbis.

- I. Sumpfit fuliginem pistorum nigerrimam, siccissimam, contingenti retorta vitrea fere ad collum repleta exceptam, quam excipulo vitreo munivit et luto firmavit
- II. Ignis gradu centum et sexagesimo supra punctum congelationis ad normam thermometri Fahrenheitiani vidit prodire aquam copiosam pellucidam per sat longum temporis intervallum
- III. Ablata hac prima aqua et seorsim in lagenam effusa, denovo applicavit excipulum, ignem incitavit ad ducentos fere gradus supra punctum congelationis, propulsa est copiosa aqua, alba, lactea, pinguis, foetens, amara, magno fatis cum impetu, hac non amplius prodeunte, separavit vas excipiens et aquam effudit.
- IV. Excipulo rursus applicato, et forti luto firmato, instruxit focum acrius, ad calorem ebullientis olei, et ascendit sal copiosus, volatilis, flavus, undique excipulo accretus, quem tam dju urfit, donec prodire destitit
- V. Eadem encheiresi, sed excitato igne arenæ validissimo et quidem suppressorio, ascendit oleum empirevmaticum atrum et crassum.
- VI. Omnibus sponte refrigeratis, offendit in collo excipuli prædictum salem volatilem, (IV) in fundo ejus oleum empirevmaticum. (V) In retortæ autem collo

hæreat sal albus, paucus, copiosior tamen in superfie
relicti capitis mortui, ubi crustam quandam salinam ci-
neritiam albam constituerebat. De hoc sale *cel.* BOER-
HAVIUS refert, istum colore, figura, concretionem,
friis, salem ammoniacum vulgo venalem omnino
referre

VII. Aquam lacteam secundi processus (III) rectificavit
et obtinuit spiritum volatilem, penetrantem, nec non
aliquid salis oleosi, volatilis et acris.

VIII. Sub crusta salina capitis mortui reconditam vidit
terram nigram, fixissimam, cujus nigredinem adscribit
oleo aucto, tenaciter adhuc adhærenti, quæ terra
igne aperto deinde calcinata reliquit calcem terrestrem
albam.

§. 9.

*Confecta-
ria hujus
analysis.*

Ex hac recensita analysi constat in fuligine esse I. copio-
sissimam aquam, eamque non deficere licet fuligo maxime
siccata fuerit, II. foetorem istum in aqua duplici et reliquis
productis dependere a spiritu quodam foetido, oleoso,
amaro, ingrato, nauseoso, et tenacissime adhærente, ut adeo hæc
aqua nulla arte unquam reddi possit pura et insipida. III.
Salem volatilem esse acrem, odore et sapore alcalinum, oleo-
sum, igneæ virtutis, et violentissime cum acidis efferve-
scentem ac salem neutrum producentem. IV. oleum empi-
revmaticum flavum, nigrum, inflammabile, amarissimum, nau-
seosum, acre, fere causticum, crassum, sale isto alcalino per-
mixture

mistum, ejusque partem subtilissimam esse spiritum quendam inflammabilem. V. Salem tam in fundo, quam in collo retortæ hærentem, et minime cum priori alcalino confundendum, sedulo collectum et separatum, ejusdem auctoris testimonio esse coloris subalbi, subpellucens, saporis falsi, falsi ammoniaci æmuli, odoris fere ejusdem, cum acidis, non effervescentem, sed cum alcalinis fixis producentem salem alcalinum volatilem, ut ipse sal ammoniacus. VI. Terram istam nigram, fixissimam et constantissimam esse in mediis flammis, licet non repugnet auctor, ejusdem portionem aliquam propter intimam mixtionem cum phlegmate et oleo transcendere. VII. phlegma et oleum et terram antea præexistisse in fuligine, utrumque vero sal tam alcalinum volatile, quam ammoniacale esse ignis, et hujus operationis chymicæ producta.

§. 10.

Suasu postea magnifici Domini Præsidis fuliginis utriusque nostratis, tam splendentis, quam favillaceæ (§. V.) analysis in laboratorio Dn. PFEIFFERI Pharmacopœi hujus civitatis dextrissimi institui sequentem in modum

*Analysis
fuliginis
nostræ.*

- I. Sumfi fuliginis splendentis libras quatuor medicinales, quas retorta exceptas igni arenæ commisi, prodiit ergo igne mediocri phlegma cum paucò oleo subtili mixtum, a quo excipulum incaluit. Mixtura hæc erat ponderis XI. unciarum.



- II. Apparente sale volatili et mutato excipulo sal in forma nivis parietibus vitri adhærens, cum oleo mixtum apparuit.
- III. Continuato igne, usque ad extremum in arena gradum possibilem, amplius nihil extorqueri poterat. Ponderus hujus olei fuit $\text{ziii}\beta$ salis autem parietibus accreti. $\text{z}\beta$
- IV. Caput mortuum erat splendidum mediocriter læve, consueto a sanguinis destillatione residuo haud valde dissimile, ponderis z XXVI.
- V. Hujus capitis mortui particula prunis imposita odorem spargebat alcalinorum analogum, scilicet sulphureum et urinosum, tota incandescebat, et in colorem cineritium sine fumo abibat, neque tamen in cineres convertebatur, sed luti instar tenaciter cohærebat. Aquæ immissa talis particula hanc quodammodo balsam reddidit.

§. II.

Eodem prorsus modo fuliginis favillaceæ e puris lignis in canalibus ferreis collectæ z XXIV destillavi, eodemque igne tandem ad ultimum suppressionis gradum exaltato, copiosum phlegma, satis olei, sed perparum salis volatilis accepi. Totum mixtum erat ponderis $\text{ziii}\beta$. Residuum quoad volumen vix mutatum restabat, et ponderis erat z XVII β .

§. 12.

Confecta.

Ex hac a me instituta fuliginis analysi liquido constat ipsam

ipsam productorum ratione mirum quantum differre ab ana- *ria hujus*
lysi cel. BOERHAVII. Primo enim non observavi phlegma *analysis.*
istud secundum et lacteum, sed quod hic primum et ultimum,
oleosis particulis plus minus refertum erat. Sal vola-
tilis alcalinus in forma quidem sicca accrevit, longe major ta-
men ejus portio et phlegmati et oleo erat remixta. Neque
in retortæ collo, neque in capitis mortui superficie ullum
vestigium salis istius ammoniacalis invenire potui, cujus men-
tionem facit BOERHAVIUS (§. 8. n. VI.). Absit tamen ut inde
dubitem de fidelitate relationis BOERHAVII, viri sane in
chymicis laboribus per plures annos exercitatissimi, qui
præterquam, quod cespitem in Belgio usitatarum, bitumino-
sis partibus abundantium, fuliginem adhibuerit, experimentum
non solum cum longe majori copia fuliginis, sed etiam forsân
intensiori igne, et protracta magis mora instituit. In nostro quip-
pe experimento caput mortuum in aqua maceratum (§. 10. n. V.)
huic salsum impressit saporem, manifesto indicio, relictas ad-
huc fuisse moleculas salinas defectu sufficientis ignis non ex-
pulsas. Et quis dicere poterit, parum I. multum hujus
salis accepisse BOERHAVIUM. Ex altero nostro examine
liquet, porro fuliginem favillaceam perparum salis volatilis
suppeditasse, quod eorum sententiam corroborat, qui inter
fuliginem splendentem et favillaceam unius ejusdemque
combustilis manifestam ratione proportionis productorum
discrepantiam quærunt. Videtur enim fuligo splens
plus olei empyreumatici, et salis volatilis contineri, quod
forsân partim ex vaporibus animalium, partim resinosis
ligno-

lignorum moleculis intermixtis deducendum est; forsitan etiam calx qua incrustantur caminorum parietes, quicquam confert ad diversam hujus fuliginis indolem. Mira cæterokin res est ponderis utriusque fuliginis jactura, quam analysis manifestat. Moses fuliginis splendentis erat IV. lib. medicinalium (§. 10.), pondus vero productorum et capitum mortui § XLI. amisit itaque septem §. Pondus fuliginis favillaceæ erat § XXIV, pondus capitis mortui cum productis § XXI æquabat, deperditæ sunt tres uncia. Unde hæc quæritur jactura ponderis in duplici hac operatione? respondeo me id ipsum curiosis scrutatoribus relinquere, hoc saltim certus novi, firmissimum adhibitum fuisse lutum, rimas undique opplens, ut impossibile videatur tantam quantitatem per vapores evolasse,

§. 13.

*Aliae ad-
huc spe-
cies Fuli-
ginis.*

Ita vero suam non accipi vult analysis **BOERHAVIUS**, nec ego meam, quasi omnia vegetabilia combusta unius ejusdemque indolis fuliginem largirentur, cujus rei contrarium superius (§. 6.) ostendi. Sed quoque laudatus auctor. l. c. pag. 286. bene monet, fuliginis, de mero ligno quercino accenso natae, aut bituminosis Belgarum cespitibus, vel de carbone fossili, aliam fore analysis; aliam quoque, quæ de culmine coquinæ Cleopatrarum vel Sardanapalis noctes diestque repleto fumis non modo ardentis materiae, sed coctorum, asporum, frixorum, animalium omnis generis. Quid dicam

dicam denique de cujusvis spiritibus inflammabilibus et oleis aromaticis destillatis purissimam et sui generis fuliginem largientibus. Experimenta fecit *Celeb. STAHLIVS* in *Experim. et observ. chymicis Berolini 1731. in 8. pag. 13.* editis, et docuit, quodvis oleum aromaticum cochleari exceptum, et accensum, admoto mediis flammis alio cochleari, vel solido quovis excipiente, largiri momentaneis successibus teneram fuliginem, omni dote caminorum fuliginem referentem et æque inflammabilem.

§. 14.

Quod si nunc perpendo, omnia vegetabilia pollere sale Quid sit fuligo quatenus ex analysi cognoscitur. acido exsuperante, et alcali tam fixo quam volatili, cum sulphureis moleculis ligatis, atque in terra et aqua hospitantibus, videtur fuligo nihil aliud esse, imprimis vulgaris et hic usitata, quam spiritus et oleum lignorum, in forma sicca, sub phlegmatis vehiculo, copiosum salem volatilem secum abripiens, seu quod idem, est carbo volatilis, maxime pinguis, facillime inflammabilis, ubi sicca fuerit; pinguis a copia olei; amarissima ab oleo cremato; et nigerrima, ut omnis carbo pariter ab oleo adusto. Rem itaque acu non tetegit *HELMONTIVS. tr. complex. atque mist. Elem. figm. n. 33.* statuens, omnem fuliginem esse salem volatilem concreti præservatum ab inflammatione propter aquæ evolantis commisionem, partim esse oleum, quod comburendi celeritate combustionem subterfugit. Neque omnino aridet *Clar. ET TMÜLLERI*

C

sen-

sententia *Comment in Schroed pag. 120.* dicentis, fuliginem conflare ex acido et salibus volatilibus spirituosiss, item oleo destillato et spiritu acido volatili, cum experimenta *BOERHAVII* atque etiam fuligo animalis testetur de presentia salis medii ammoniacalis. Non immerito *HANCWITZIVS* celebris ille phosphori Londinensis coctor, phlogiston illud, quod in substantiis combustilibus flammam producit, habet pro fuligine, vi phaenomeni, quod omnis fuligo igni imposita flagrantissime ardeat et in apertam flammam erumpat. Ipse phosphorus habitò respectu ad partes quibus constat, fuliginem olei combusti refert, revera enim phosphorus maximam partem ex sale, ad salis ammoniaci naturam accedente, nec non sale urinoso, acido penetranti, phlogisto oleoso et terra subtili componitur.

§. 15.

*Transfertur
ad ea quae
sequuntur.*

In superioribus (§. 6.) dictum est fuliginem *Aegyptiorum* ad praeparationem salis ammoniaci adhiberi solitam maximam partem animalis esse prosapiae, sequitur itaque ejus analysin chymicam alia quoque largiri producta, ac fuliginem vulgarem, quod ipsum nemo inficias ibit. Sed cum plures celebrium chymicorum nostri aevi negent ex sola fuligine *Aegyptiaca* sine additione acidi salis marini praeparari posse salem ammoniacum; imo pariter impossibile judicent ex fuligine vulgari, addito licet sale marino unquam praeparari salem ammoniacum; duo potissimum momenta, occasione sic

fe-

ferente, mihi sunt investiganda; alterum est, an falsitatis sit coarguenda relatio magni BOERHAVII, qui in fundo re- tortæ post finitam fuliginis analysin salem ammoniacalem invenit; alterum est, an reapse unquam sal ammoniacus ex fuligine animali Ægyptiaca sine additione salis marini præparetur?

§. 16.

Quoad primum (§. 15.) judico non temere de viro An verum sit analysis Boerhavi. summa digno fide esse dubitandum, quicquid etiam dicant, qui in didjudicandis aliorum meritis sese dictatores gerunt, cum primis quod in analysi salis ammoniaci l. c. pag. 328. plus simplici vice affirmet, verum fuisse salem ammoniacum, quem ex fuligine impetravit. Et præter alias rationes quas supra (§. 11.) tetigi, pro hujus viri analysi militat quoque fuliginis Ægyptiacæ examen.

§. 17.

Alterum est, ut inquiram an fuligo Ægyptiaca animalis maxime profapiae solitarie recepta, sufficiat ad præparationem salis ammoniaci, an vero additione salis cujusdam mineralis tertii opus sit. Scriptores chymici ad unum fere omnes conveniunt, salem ammoniacum hodiernum esse concretum salinum artificiale, formatum ex acido salis marini, et alcali volatili pingui urinoso, ita quidem, ut copiosius addeat alcali volatile. Hinc antequam accurata præparatio-

In veram salis ammoniaci præparationem inquiratur.

nis hujus salis Ægyptiaci per Europam innotuit, plerique existimarunt, salem ammoniacum ex sola fuligine præparari non posse. *celeb. HOFFMANNVS obser. chym. pag. 194.* invenit, ex mixtione lixivii a coctione salis relictæ, quod Mutter & Goodæ vocant Halenses, et cujusvis urinosi, parari posse perfectum salem ammoniacum. Hinc suspicatus est muriam salis marini residuam ad fabricam talis ammoniaci ab Ægyptiis recipi. Eandem fere sententiam amplexus est *celeb. POTTIVS* existimans muriam semi alcalinam post depurationem salis marini copiose relictam misceri fuligini Ægyptiacæ. Sic quoque *celeb. Dn. CARTHEUSER fund. mat. med. P. I. pag. 340.* existimat, impossibile esse ex sola fuligine salem medium ammoniacalem sublimari posse, sed ejusmodi omnino corpus simul miscendum esse, quod acido minerali tertio, seu culinari, vel explicito vel implicito, adeoque sub operatione demum evolvendo, gaudet. Imo *Doct. Dn. NEVMANNVS Lect. publ. de sale ammoniaco, Lipsiæ 1737. pag. 187.* ne quidem credit, ex additione urinæ et salis marini præparari posse salem ammoniacum, quia ex horum mistura nondum sequitur, acidum salis marini separari a terra sua alcalina, sed requiri hic additamentum aliquod terreum, quod incolæ sine dubio celant, et exteris non revelant. Et has doctissimorum virorum conjecturas primæ relationes ex Ægypto confirmarunt. *P. LVCAS Voyage du Levant pag. 275.* testatur confectores salis ammoniaci salem marinum addere, et post ipsum societatis Jesu Pater *Dn. SICART* idem non solum

solum de sale marino, sed et de urina confirmat. Eodem tamen tempore, quo memoratus, SICARDVS, suam de hujus salis confectiōne relationem publici juris fecit, gallicæ nationis consul in Ægypto *Dn. le MAIRE* academiæ scientiarum Parisinæ misit relationem hujus præparationis, in qua præter unicam fuliginem nullam, nec salis marini nec urinæ, nec aliorum admisttorum mentionem facit; ita ut eruditi in definienda salis ammoniaci compositione in diversas iverint tunc temporis sententias. Paulo post idem ejusdem societatis pater in Libro: *Nouveaux Memoires des Missions dans le Levant*. Tom. VII. p. 70. conformem sese præbuit relationi *Dn. le MAIRE*, neque salis marini, neque urinæ mentionem faciens. Tandem aliquot annis elapsis jussu præsidis academiæ regiæ Parisinæ *illustrissimi Dn. comitis de MAVREPAS* sodalis quidam hujus societatis *Dn. Granger* missus est in Ægyptum, ad historiam naturalem promovendam suas observaciones collaturus, qui litteris ad academiā datis, amplissimam relationem, ut testis autopta transmisit, atque *Dn. le MAIRE* relationem confirmavit, quod scilicet fuligo caminorum, ubi comburi solent vaccarum stercore, sola salis ammoniaci materia sit. Conferatur etiam ejusdem *Relation du Voyage fait en Egypte 1730. s. p. 250.* Imo postea in patriam redux hujus fuliginis Ægyptiacæ portionem attulit, ex cujus libra una *Dn. du HAMEL*, destillationi commissa, separavit fat bonam quantitatem salis ammoniaci candidissimi. vid. *Memoires de l'Academie Royale des sciences 1735. p. 146.* Novis-



sine *Clar.* DD. SHAW *Voyage dans plusieurs provinces de la Barbarie et du Levant, a la Haye 1743. 4to p. 141.* pariter confirmat salem ammoniacum ex sola stercoreum fuligine parari. Cum porro hæc fuligo sit admodum nigra et falsa, gustum falsis ammoniaci prodens, merito laudatus *Dn. du HAMEL* concludit falsis marini additionem ad præparationem falsis ammoniaci absolute necessariam non esse, quod si tamen in quibusdam officinis Ægyptiacis recipiatur, non sine sui decompositione, cum sale fuliginis sociatum, in sublime ferri. Secus enim si accideret, sal marinus per simplicem cristallificationem, vel etiam infusione olei vitrioli ex sale ammoniaco purus iterum reducendus esset, quod nunquam fit, sed ut omnibus notum, ex infusione olei vitrioli cum sale ammoniaco vulgari paratur sal ammoniacus secretus *GLAUBERI*, quod ammoniacalis vitriolicæ est indolis. Eodem teste, longe abest, ut sal ammoniacus, quando sublimatur, possit simul secum rapere salem marinum, ut potius, si hic additus fuerit, ejus sublimationem semper remoretur, unde concludit, si sal marinus fuligini Ægyptiacæ addatur, eum non posse, ad minimum sine totali ejus decompositione, cum sale ammoniaco sublimari. Ex quibus omnibus ut opinor, maxime ex destillatione solius fuliginis Ægyptiacæ a *clar. du HAMEL* instituta manifesto liquet, solam fuliginem animale[m] largiri salem ammoniacum, nec opus esse acido minerali. Nisi forsitan quis dixerit falsedinem hujus fuliginis tertium quoddam salinum prodere, & hoc ipso Ægyptiorum imposturam manifestare.

Fuliginem non destitui viribus medicis, utraque ejus *Vires fuliginis medica ut medicamentum externum.* analysis (§. 8. et 10) docet, licet verum sit vires ejus pro differentia rerum ex quibus originem trahit mirum quantum differre. Usus ejus latissimus est, dum non solum cruda, sed et multifariam præparata exterius æque ac interius corporis morbis opponitur. **DIOSCORIDES** *Lib. I. Cap. 86.* docet ex fuligine additis mucilagine seminis psylli vel cydoniorum, nec non terreis et saturninis quibusdam linimentum parari, quod laudat tanquam medicamentum siccans, detergens et discutiens in ophthalmia vera humida. Sc quoque **AETIVS** *tetrab. I. Serm. I. vid. STEPHANI* *Medicæ artis principes post Hipp. et Galenum pag. 48.* corticis pini fuliginem tanquam ad palpebrarum defluvia utilem commendat. Idem ibidem inquit, fuliginem thuris calefacere et siccare, oculorum ulcera repurgare, et longe mitiorem esse fuligine piccæ vel pini. Eodem auctore *tetrab. I. Serm. II. 84.* oesypus, lana ovium præparata, fuliginem ex se reddit accommodatissimam ad erosos et scabros oculorum angulos, ad palpebras callosas et pilorum defluvio laborantes. **P. ÆGINE-TA** *de re Med. lib. 7. vid. STEPH. pag. 615.* pictorum fuliginem cum cerato rosaceo subactam, ceu optimum remedium ambustas partes ad cicatricem perducendi commendat. In profunde ambustis membris, ubi metus gangrænæ est, emplastrum ex fuligine, cera, oleo lini, raparum, a recentioribus magni æstimatur, ut taceam id ipsum bubonibus et anthra-

thracibus imponi; A quibusdam in cancro exulcerato specificum audit, tum pulvis fuliginis, tum sal ejus fixus, sive sicus sive solutus fuerit. In nimio februm ardentium, imo intermittentium ardore fuligo cum albumine ovorum et aceto subacta, atque plantis pedum vel carpis manuum applicata, teste ETTMÜLLERO *Oper. Med. T. I. pag. 701.* excelsit, oleum vero ejus umbilico inunctum in vermibus necandis et expellendis laudatur.

§. 19.

*Vires fuliginis ut medica-
mentum
internum.*

Quod internum fuliginis crudae usum concernit, passim quoque celebratur a scriptoribus medicis. Pilulae de fuligine sicca formatae, auro obductae, commendantur in sic dictis frigidis morbis oprato cum successu. In casu abalto, vel nimio corporis nisu, ad dissolvendum sanguinem congruatum, encomio *vel. ETTMÜLLERI Op. Med. T. I. pag. 701.* egregia est, si ex aqua cherefollii propinatur. Ex eodem fundamento fuligo tanquam euporiston laudatur in pleuritide, imprimis spiritus ejus ab HARTMANNO in *Praxi chymica* descriptus, vid. LAZ. RIVERII *opera omnia p. 252.* Sic et specificum antipleuriticum HORSTII constat ex fuligine bene trita, et saepius cum aqua florum sambuci lota, et postremo exsiccata, ad 3ß exhibita. In partu difficili, deficientibus partus doloribus, retentis secundinis foetuque, stimulo expeditum pellens est fuligo, imprimis cum aqua pullegii, cinnamomi et borace exhibita, notante ETTMÜLLERO

LERO

LERO loco cit. pag. 701. In fluxu lochiorum tanquam eu-
 poristum commendant fuliginem cum aceto, *Ephemerides*
Nat. curios. Dec. III. an. 6. pag. 285. Oleum fuliginis em-
 pireumaticum, quod est penetrantissimum diaphoreticum, ad
 tres guttas propinatum foetum pellit, atque externe cum ef-
 fectu tumoribus podagricis inungitur, id ipsum tamen de
 crasi specifica vegetabilis, ex quo fuligo est, participat. Sa-
 le volatili fuliginis utuntur, ut eo, qui de animalibus paratur,
 nec impari eventu, ut putat **BOERHAVIVS**. Salem ultimum,
 quem describit **BOERHAVIVS** (§. 8. n. VI.) ammoniacali
 similem, propter vires putredini resistentes, putat esse eun-
 dem, quem **HARTMANNVS** *loc. cit.* cancro leniendo parem
 laudat. A quibusdam etiam sal volatile oleosum fuliginis
 paratur, scilicet spiritus fuliginis optime rectificati ꝑx. spiri-
 tus vini ꝑxx. invicem ex cucurbita vitrea ad tertiæ partis re-
 manentiam destillantur, productum rectificatur ad dimi-
 dium, et prodibit sal volatile oleosum in forma sicca cum
 supernatante liquore, quod multiplicis usus in Medicina est.
 Nota quoque est essentia alexipharmaca **CLAUDERI** quæ
 ex fuligine, cui auctoris proprius liquor balsamicus, vel
 etiam spiritus vini non plane dephlegmatus, et floribus salis
 ammoniaci saturatur, aut etiam spiritus salis ammoniaci cum sale
 tartari et calce viva paratur, in funditur, constat, quæque
 huic auctori est optimum diaphoreticum, diureticum, abster-
 gens, resolvens, antipleuriticum, cordiale, quamque in lar-

D

giori

giori dosi ad sedandam arthritidem vagam feliciter adhibuit
 I. F. FÜRSTENAV. *Att. phys. Med. vol. VIII. pag. 360. cl.*
 GEYERVS Dresdensium quondam felix practicus et archia-
 ter, ex fuligine in spiritu salis ammoniaci soluta, affusa fam-
 buci aqua destillavit tincturam, quam alexipharmaco scopo
 in febribus et morbis exanthematicis sibi familiarem reddi-
 dit. Tandem paratur essentia fuliginis extemporanea cum
 oleo tartari per deliquium, quod totam ferme fuliginem re-
 cludit, quæ in quibusdam casibus externo suo usu non de-
 stituitur.

§. 20.

*Usus fu-
 liginis in
 chymia
 secretiori.*

Neque plane exulat fuligo ex alchymistarum, labo-
 ratoriis, sejusdem enim spiritus a quibusdam habetur pro
 singulari menstruo, mineralia recludendi producta, et arca-
 na pharmaca præparandi. Sal volatile fuliginis, si fides ha-
 benda HOFFMANNO in SCHROEDERYM, longiori tri-
 tura, ac digestionem aurum ita recludit, ut postea tam uri-
 noso, quam salino menstruo solvi queat, atque constituat
 tincturam auri non corrosivam, sed mitem et potabilem.

§. 21.

*Usus fu-
 liginis
 mechani-
 cus et va-
 rius.*

Artibus mechanicis aliisque infervire fuliginem no-
 tissima apud veteres æque ac recentiores res est. Cosme-
 ticum ejus usum docet DIOSCORIDES *loc. citato*, cum olim
 una cum stibio ad linimenta, quibus palpebræ fucantur adhi-
 be-

bebatur, et cum populi Orientales antiquitatis sint tenacissimi, hisce nostris in diebus mulieres Turcicæ sua fuligine denigrare solent supercilia, cujus modum describunt *Eph. Nat. C. D. II. an. 6. pag. 108. et App. 114.* Pictores porro ad nigros colores parandos utuntur fuligine vitrariorum, quo scopo pariter adhibent præcipitatum essentia fuliginis, quod extracti spissitudinem habet, quodque propter pertinacissimam nigredinem magni faciunt. Non minus fuligo splendens præmissa calcinatione cum cineribus clavellatis largitur lixivium, ex cujus certa præcipitatione præparatur elegans coeruleus color, coeruleo Prussico æmulus, hujus plenariam descriptionem sub nomine magisterii coerulei Erlangensis. *vid. in Act. Physic. Med. vol. V. pag. 537.* Quid dicam postremo de typographorum atramento, quod sine fuligine præparari nequit, et cujus usus tam late patet, ut eundem pluribus hic verbis exponere, opus non sit. Et sic puto me pro virium mearum tenuitate themati meo satisfacisse, plura hic addere vetant limites dissertationis academicæ, vetat etiam mea hic loci supellestile litteraria destituti conditio.

F I N I S.



01 A 6603

ULB Halle


3

003 092 291



1007





Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DISPUTATIO INAUGURALIS ^{17.}
MEDICA
DE
FVLIGINE
QVAM
AVSPICE DIVINO NUMINE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
PRAESIDE
DN. CAROLO AVGVSTO à BERGEN
MED. DOCT. ET PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
AD HVNC ACTVM PRO-DECANO
ACADEMIAE H. T. RECTORE MAGNIFICO
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
LEGITIME IMPETRANDIS
IN AVDITORIO MAIORI
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS
GODOFREDVS AVGVSTVS ISAAC
GORLICIO LVSATVS.

AD DIEM VIII. MAII MDCCL.



FRANCOFVRTI AD VIADRVN,
EX OFFICINA IOANNIS CHRISTIANI WINTERI
ACAD. REG. TYPOGR.